

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCLI.


[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

fatiget, ac cum Jobi uxore simile quod patiatur. **DEE** helffe allenthalben/  
Amen. Effundo autem hæc in sinum humanitatis tuæ, quæ talia sunt, ut ad  
quemvis alium se deferri sine periculo non patiantur. Ego quidem, quem hæc  
nosse velim, præter Dominum Thomam, apud vos non novi. Vos autem,  
quatenus commodum fuerit, aliis aliquid de his communicari, eatenus pro  
prudencia vestra communicabitis. Reliqua contenti eritis vobis scire. Nunc  
tuam H. cum uxore & familia DEO patri commendo. Wismano literas tra-  
didi, sed tempus non habui, ut repeterem nunc ab eo responsum. Heidel-  
bergæ, 11. & 12. Octobris ad candelam, Anno 78.

T. H.

*observantiff.*

Petrus Patiens.



CCL.

**S** Qui has perfert, Doctoris Theodorici Schnäpffii, Thubingensis Theologi,  
frater est, & istuc se contulit, quod literas & pecuniam accepturum se  
speret. Petivit à me, ut aliquid literarum ad te darem, quo esset occasio, se  
conveniendi. Medicinæ Candidatus est, homo singulari ingenii suavitate.  
Commisit & alius suas literas mihi Thubingam pertinentes, quas cupit trans-  
mitti, cumque non alia occasio ad manum nobis sit, quam ut istuc curentur,  
ad te mitto, rogans, per alterum ex filiis eatenus nobis gratificeris, quo quam-  
primum fieri queat, Thubingam mittantur. Utere vicissim nostra opera, sen-  
surus promptos. Ex comitiis nondum rediit Republicæ nostræ Legatus, &  
proinde nos latent, quæ Senatus ordinum decreverit, circa Burgundiacum  
negocium; miramur inrerea, aded altum esse, cum de ipso & Belgicis rebus  
silentium. Commendo te gratiæ DEI, Vir Reverende & charissime frater,  
Basileæ, 15. Octobris, Anno 1578.

T. d.


totus Sulcerus.

CCLI.

**G** Ratias summas Generosi Comites nostri & D. Sturmio & tibi, Clariff.  
D. Decane, pro vestro in manes parentis pietatis officio habent. Deno  
Eeee 2 autem

autem Typographis mittunt 1. Coronatum; & cupiunt sibi adhuc vel 20. vel 30. Exemplaria Programmatis mitti, ut & in patriam revertentes, quædam inter bonos distribuere queant; quod ut fiat, haud gravatim curabis. Vale. Datæ Prædie Nonarum Januarii, 1579.

I.  
Cyr. Spangeberg.



CCLII.

(Philippo Marbachio.)

*S. D. Reverende & Carissime Domine compater.*

**B**iennium totum effluxit, nec ullas à te litteras accipio. Gaudeo igitur **B**omnia tibi ex animi sententia succedere, & fortunæ tuæ eam prosperitatem esse, ut veterum amicorum oblivisci possis. Quod si, ut non omnino diffido, scintilla aliqua pristinae erga me benevolentiae tuæ reliqua micat, quæso ut tandem de universo statu Scholæ Ecclesiæ & Provinciæ vestræ, & rebus tuis domesticis, ea, quæ amico, cujus fides tibi perspecta est, scire licet, me edoceas. Intellego autem Reverendiss. senem, patrem tuum, optare, ut in Academia Palatina DEO servias. Ea in re quid honestè & sine insigni Scholæ Stiriacæ damno fieri possit, haud dubie considerabis. Quod si vel ipse venies, vel aliquando ad patrem scribes, quæso ut Leges Scholæ vestræ descriptas, literis ad me tuis adjungas. Non totum illud scriptum de Schola, sed tantum Statuta de disciplina moribus & exercitiis, numeris, ut opinor, propositionum instar, distincta, recipere cupio. Mea tibi studia & officia vicissim defero. Bene vale. Die Concordiæ & Constantiæ, Anno 1579.

David Chytræus.



CCLIII.

**N**ihil erat nunc quidem, quod scriberem magnoperè, cum haud pridem tibi binas ad te dederim. Sed quia præsentium lator meam expeteret ad te commendationem, D. Nicolaus Taurellus, non potui viro amico negare officium, maxime cum id enixe etiam postularet D. D. Isaacus Kellerus & Samu-

Samu-